



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

Joh. Ludovici PRASCHII

DE

JURE GENTIUM,

maxime Christianarum,

vero & ficto,

DISQUISITIO

nova ac necessaria.



RATISBONÆ,

LITTERIS & IMPENSIS HOFMANNIANIS.

M DC LXXXIX.

*Prælustri atque Excellenti
VIRO,
DN. GEORGIO
FRIDERICO
A
SNOILSKY,
S. REG. MAJ. SUECICÆ
Residenti in IV. Imperii Circulis
inferioribus Splendidissimo,
&
Ad Comitia Imperialia Legato,
veteris observantiae
novum hoc specimen exhibere voluit
cliens meritis obstrictus,
J. L. Prafchius.*



VIR PRÆLUSTRIS,

Si mentem Grotii , re & nomine magni , paullo altius inspicias , triplicem is statuit caritatem . Prima est , quæ γενικῶς & nude caritas illi dicitur . Alteram facit caritatem Evangelicam , à Christo traditam . Ea cum rursus vel ἀγάπη sit , quam Christiani in commune conferunt , vel φιλαδέλφia , quam inter se mutuo Christiani præstant (nam utramq; præcipit , exponit , atque insimul commendat Evangelium , ut Matth. XXII , 39. Luc. X , 30. & seqq. I. Thess. III , 12. II Petr. I , 7.) due aliæ caritatis emergere videntur species . Et has omnes Grotius haud raro non distinguit modo à iure naturali , ita ut stare cum hoc queant , sed opponit ac anteponit naturæ placitis , sic ut rejeçtis eis (quæ interim effuse tradit) has potissimum sequi jubeat . Quæ ne temere dixisse videar , adscribam ejus verba . In prologo eximiis

operis, de subsidiis ejus generatim agens, in-
quit: Novo federe in hoc utor, ut do-
ceam, quod non aliunde disci potest,
quid Christianis liceat: quod ipsum ta-
men, contra quam plerique faciunt, à
jure naturæ distinxí, pro certo habens,
in illâ sanctissimâ lege majorem nobis
sancimoniam præcipi, quam solum per
se jus naturæ exigat. Vides, eum hic distin-
guere, singulari sententiâ, doctrinam Evan-
gelii, ut sanctiorem, à naturæ lege? Adde, si
placet, I, II, 6. Porro, II, I, 4. quærit, an &
innocentes, qui interpositi defensionem
aut fugam, sine qua evadi mors non pot-
est, impediunt, transfodi aut obteri pos-
sint? Respondet: Sunt, qui licere id pu-
tant, etiam Theologi. Quid autem Gro-
tius? Et certe, ait, naturam solam si re-
spicimus, multo apud eam minor est so-
cietatis respectus, quam propriæ salutis
cura. Id merito negavimus, cum viro docto.
Quid est enim evidenter, quam prævalere
singulis societatem, parti universum, ex de-
stina-

stitutione ac lege naturæ? Pravum igitur hīc nobis jus à Grotio obijcitur, prava regula, ex qua multa alia incommoda sequuntur. Nec, si jus hoc dicendum est, aliud erit, quam jus illud impunitatis, quod toties ingerit Grotius, externum aliquando vocans, aut justitiam stricte sic appellatam. At hoc proprie jus non est, verum injuria; nec in foro Dei, quod præcipuum est, sed in humano tantum, nec semper, nec satis bene, valet. Subjungit deniq; Grotius: At lex dilectionis, præsertim Evangelica, quæ alterum nobis æquat, plane id non permittit. Vides, ut distinguat hoc loco dilectionem laxiorem, à potiore Evangelicâ, & utramq; conferat ac preferat juri naturæ? Similia invenias III, I, 4. III, XVIII, 4. & alibi. Interdum (veluti III, XII, 6.) quid non erga alios modo, sed inter se quoq; Christianis fas sit, quæ tertia videtur caritatis species, expendit. Sed multiplicem & gravem hæc errorem continent. Primo certum est, nullam caritatis speciem pugnare cum vero naturæ jure. Cum vero, in-

quam. Quod enim fингitur, quod naturalis
 guida & corrupta sanxit, obrogando naturae
 integræ vel per Christum instauratae, id
 omnino tanquam nothum repudiamus. Sic
 germanum jus naturæ dicit: Non occides,
 non furtum facies. Illud ergo jus, quod
 innocentem transfodere & obterere, quod
 famelicum alteri suum eripere è contrario
 permittit, verum non est. Nec datur alia di-
 lection, vel in Evangelio, vel extra illud (nisi
 notha) quæ non sit etiam juris naturalis. Ac
 ne illa quidem, quam Christiani mutuo præ-
 stant, specie differt ab eâ quam præstant aliis,
 sed gradu tantum: sicut aliter diligimus igno-
 tum, aliter amicum mediocrem, aliter sum-
 mum. Quæ omnibus debo, magis debo
 Christianis: & quæ maxime debo Christianis,
 aliis quoq; debo hominibus, quamlibet
 inimicis. Nisi vero inimici non sunt ho-
 mines. Ea Christi, conditoris ac reectoris
 naturæ, est voluntas; ea societatis ratio. Ni-
 bil certe dilucidius. Repertus tamen nuper,
 qui errantem Grotium defenderet, me
 salubriter monentem impugnaret; mente
 tamen

tamen forsitan, quam sermone meliore. Immatura enim, non satis meditata, se afferre fassus est. Sed et tum breviter, et in compendio praesertim juris naturalis, Viro Clarissimo respondi. Nunc id, quod in compendio illo tantum delibavi, paullo fusius tractare animus est, de jure gentium: quæ cognitio ut nobilis, sic ardua et vel uberrimo tractatu digna mihi videtur. Exemplum afferam, quod Tuæ maxime, Vir Prælustris, persona convenit, quodq; merito habetur in præcipuis. Legati dignitas et sanctitas amplissime patet. Si tamen is, qui Legatum misit, bellum importunum inferat ei, ad quem misit, quid faciendum tali Oratore? Anceps profecto consultatio. Male habitos esse à non paucis gentibus ejusmodi Legatos, si praesertim alii quid contulerant ad turbandam pacem amicosq; distrahendos, frustra negaveris. Edicte verso narrat *VVicquefortius*, laudatq; maxime Regem Gallie novissimum, qui, cum bellum intentaret Batavis, horum Legatum Petrum Grotium comiter dimisit. Exquirit

etiam facti rationem. Nos non tantum nobis
permittimus: nec, an illa fuerit ratio, quam
promit, an aliae, pertinentes vel ad famam, vel
ad utilitatē Regis in negotio belli, definimus.
Illud dicimus: sit laudabile hoc, sit magno ani-
mo gestum. Quanto interim pulcruis, & ad
eternā celsi animi gloriam est illustrius, quod
Imperator noster & Imperium, tam præsenti
quam superiori bello Gallico, Legatos Galliae
incolumes & litteris publicæ fidei rutos remi-
su: Legato Belgij merito pepercit Galliae Rex,
ut qui non petitus armis, sed ipse Belgas petijs.
At Germani sospites reddidere Legatos Gal-
liae, nec insontes, eo tempore, quo Rex iterum
bellum impegerat atrocissimū non tam nobis,
quam divino & humano juri. Ita quam leni-
ter Scutgardia Fuvignium dimiserit, acerba
meritum, vulgata nuper epistola nos docuit.
Servet hanc Cæsari & Imperio mentē Deus:
ut intelligant populi, nusquam integriorem
percipi posse disciplinam juris gentium, quam
in Germaniâ. Te cumprimis, VIR PRÆLU-
LUS TRIS, commodis R̄sp: meisq; servet.

Vale.

DE

त्रिवृत्तं त्रिवृत्तं त्रिवृत्तं त्रिवृत्तं त्रिवृत्तं त्रिवृत्तं
त्रिवृत्तं त्रिवृत्तं त्रिवृत्तं त्रिवृत्तं त्रिवृत्तं त्रिवृत्तं
त्रिवृत्तं त्रिवृत्तं त्रिवृत्तं त्रिवृत्तं त्रिवृत्तं त्रिवृत्तं

DE JURE GENTIUM, *Maxime Christianarum, vero & facto, diaconus nova ac necessaria.*



Rtium, quibus Cacodæmoni grassari mos est, illam vel præcipuam dixeris, quæ in confusione justi & injusti cernitur. Injurias enim summas summi juris nomine venditat. E diverso, optimum jus tam incertum & inefficax reddit, ut obsit magis quam conduceat. Vel in jure gentium quas turbas ciet? Primū efficit, ut jus hoc repugnare videatur juri naturali. E. G. Jus naturæ vetat insontem perimi, jus gentium in bello effuse permittit, atq; adeo laudat. *Quæ commissa, ait Seneca, capite luerent, tum, quia paludati fecerunt, laudamus.* Et Cyprianus: *Homicidium cum admissunt singuli, crimen est.* Virtus vocatur, cum publice geritur. Contra, jus naturæ permittit usum toxicæ in fontes (supplicium Athenis fre-

A s quen-

quentatum) jus gentium in bello prohibet. *Armis bella, non venenis geri debere*, apud Valerium Maximum nobili cap. de justitiâ legitur. Utrum ergo jus sequendum? aut unde hæc discrepancy?

Deinde fit, ut ipsum gentium jus pugnare secum videatur. E. G. *Supra in feminas in bellis passim legas & permissa, & impermissa*, ait Grotius, nec non utriusq; partis rationes assurgat, J. B. 3. 4. 19. Pactionibus pacis, maxime impletis, stare gentium sacra jubent. Dissertator contra Gallicus Lotharingiam, pridem sic restitutam, Gallis vindicat *jure gentium bellico*. Vide sis Excerpta ex actis Senatus in Parnasso, mem. 8. Jus gentium non aspernatur bello magnam prædam, immo captat. Pittacus ille Mitylenæus *de forme judicar, virtutis gloriā magnitudine præda minuere*. Totæ fæpe gentes in contrarias dissident sententias. Altera pars, quæ bellum infert, omnia fibi putat licere, idq; *legem belli* vocat; altera è contrario, quæ bellum excipit, *injusta dicit omnia, & clandestina vel publica sclera fieri queritur*. Hæc in causas belli vult inquiri, & resarciri damna; illa prohibet negatq; tanquam belli jure. *Quoniam modo ea, inquiunt Achæi apud Livium, que jure belli acta sunt, in disceptationem veniunt?*

Quid

Quid ergo est? utri parti credimus? an utriq;? an neutri?

Ipse Grotius, postquam libro tertio præclaris operis per novem capita ampliter exposuit, quantum belligerantibus liceat; reliquis capitibus inculcat temperamenta hujus licentia, egregia quidem & æternâ laude digna, sed quæ vel priorem illam de jure gentium doctrinam tollunt, & ædificata diruunt (uti mox ostendero) vel infirmiora sunt, quam ut animos gentium penetrent, quia pulcra magis quam necessaria videntur. His itaq; discussiendis nebulis non perdemus, nisi fallor, operam. Explicabimus autem primo naturam juris naturalis & gentium.

Divinum jus humano longe anteferendum esse, caret controversiâ. Jam vero jus naturæ est *jus Dei*, teste Paulo, Rom i.v. ult. Quicquid ergo lex hæc præcipit, vel vetat, sic est necessarium, ut obrogari sibi ne ab universis quidem hominibus patiatur. Est simpliciter, ut vocant, *indispensabile*: est vera & perpetua actionum regula, quæ in conscientiâ tutos præstat. Si quid igitur huic reclamat juris gentium nomine, cave jus credas. Injuriam, omni ratione fugiendam, puta. Justitia & jus *externum*, uti Grotius appellat, monstri quiddam alere videtur:

inser-

internum solum est, quod sequi & curare convenit.

Accipitur jus naturæ generaliter, vel specialiter. Generali significacione comprehendit (a deo non impugnat) jus gentium: speciali notione jus naturæ dicitur, quod hominem homini indiscriminatim obligat; jus vero gentium, quod genti gentem proprie obstringit. Datur porro aliud longe jus gentium, quod non comprehendit neque condidit natura, sed gentes ipsæ, communis utilitatis suasu: nisi quod & hoc jus è longinquò jus naturæ spectat. Nam ut civitates, publicæ potestatis arbitrio, ex utilitate quædam non inhonesta sibi sanciunt: ita gentes omnes, vel pleræq;, vel meliores, pro tempore quædam sibi jura constituere potuerunt, & constituisse censentur, pacto quodam tacito, si non etiam expresso. A quo jure, nisi cum superiore naturali pugnat, discedendum non est. In primisq; colli vult jus gentium Christianarum. Sicut enim is, qui ludum vel palæstram adit, simul legibus ejus adstringere se intelligitur: sic jura quædam inter gentes a deo recepta sunt, ut ab his secedere velle barbaries habeatur. Sed hæc ipsa duplicitis fere generis sunt. Nam aut ea, quæ nec præcipit nec vetat lex naturæ, mutuæ utilitatis causâ statuunt, ut ex jure

jure Legatorum perspicitur ; vel rejiciunt, ut de veneno è bellis sublato dixi. Barbarus igitur est, qui hæc non servat; utpote qui latam nocte fenestram aperit, seq; ipse videtur odiisse : nam lege talionis idem sibi in illum licere aliæ gentes existimabunt. Atque adeo consilii magis, quam juris est hæc quæstio. Non enim cogi sane quis potest, ut agnoscat illud pactum (nisi aliunde constet de consensu) ut nec is, qui conditiones ludi vel palæstræ subire recusat : verum nec reliquæ gentes cogi possunt ad societatem cum isto colendam , sed exclusum pari severitate tractant. Aut (quod alterum genus est) connivent populi in his , quæ natura vetat aut præcipit, negando actionem , & tollendo portionam humanam. Quo pleraq; ex illis pertinent, quæ dictis novem capitibus circa bellum exequitur Grotius.

Eius conniventia caussam idem attingit scriptor, dicens : *Caussa, cur id gentibus placuerit, hec fuit, quod inter duos populos de jure belli pronuntiare velle, periculose fuerat aliis populus, qui cæ ratione bello alieno implicarentur ; sicut Massilienses in caussâ Cæsaris & Pompeji dicebant, neq; sui iudicis, neq; suarum esse virium, discernere, utræ pars justiorem haberet caussam : deinde quod etiam in bello iusto vix satis cognosci posset*

potest ex indiciis extermis, quis justus sit se enendi, sua recuperandi, aut pœnas exigendi modus: ita ut omnino præstiterit, hac religioni bellantium exigenda relinquere, quam ad aliena arbitria vocare: lib. 3. c. 4. n. 4. Videtur itaque approbare Grotius, quod ex naturæ præceptis actionem lœsis denegant populi, in his quæ ad jus belli attinent. Sed non contemnenda dici possunt in contrarium.

Primo ipse tacite fatetur, duobus populis bellicerantibus, ceteros interponere operam sua in salutarem posse, modo velint; id est, modo cognitio vel executio non sit difficultis & damnosa. Nam alioqui ratio, qua cessantes excusatum it, supervacua & inepta foret. Addo ego: non possunt modo interponere se, sed (quod ex ipso Grotio probare facile est) universæ loquendo debent. Nam injuriam patienti populo succurrere, aut alia honestâ ratione litem componere; commune omnium officium est, præsertim vicinorum. In hoc sola sufficit humana ratis ratio, secundum illud: *Homo sum, humani nihil à me alienum puto.* Evolve, quæsto, Grotii l. 1. c. 5. n. 2. & l. 2. c. 25. n. 6. 7. ad dec. 15. n. 13. Quod si gentium non esset punire, dici non posset *impunitas ex jure gentium.* Etsi impropriè hinc pœna dicitur, quod pœnas in locum succe-

succedit. Nec obest, quod cognitio sit difficultis. Nam in tantum quisque tenetur, in quantum potest cognoscere. Si palam injusta bellicauissa, injustus modus sit, male utique tergiversaberis. Fere vero id promptum est perspicere. Ideo, qui bonam fovent caussam, publice eam significant; et si non omnes, qui significant, semper caussam probant. Dices: executionem tuarum non esse virium. Esto: non potes solus per te exequi, quod justum est: at poteris per alios, vel cum aliis. Facies certe, quantum poteris: id quod late admodum patet. At omnium, inquies, inter se gentium bella existent, si aliorum est intervenire, si haec cura vocat eos, quorum alioqui nihil refert. Nam & illis, qui injusta ferunt arma, non deerunt socii. Occidendum hoc eis, qui ignorant, multos saepe populos, officii sui commode memores (omnium enim interest) & gloriose & feliciter alienis bellis intercessisse, nec diu impunitam mansisse tyrannorum saevitiam. Sic Pipintus & Carolus, Franci, Romanis contra Langobardos adfuere. Religioni itaque bellarium, quae nulla fere est, haec relinquere, satis irreligiosum foret. *Quod tibi vus fieri, hoc aliis prestare me mento.*

Possis igitur opinari, conniventiam hanc genti-

gentium circa belli jus injustum admodum est. Quod si tamen connivere licet, omnis connivenzia in illum verget, qui lacessitus bello suste se defendit: alter, qui lacessit, odio injustitiae nullum jus impunitatis consequetur, dabitur in eum actio, dabitur pena. Semper igitur (quod facere omisit Grotius, nisi quod l. 3. c. 10. præclara monuit) in factis illis populorum, quæ laudant alii vel excusant, alii improbant in bello ac detestantur, probe discernenda pars injusta ab innocentia: ut huic, non illi, æquo plus licere intelligatur. Nam ad hoc, ut aliquid habeat efficaciam & nomen juris, scire pernecessarium est, justumne an injustum ejus principium & noxium sit. Ex eo autem potius, si quid judico, orta est illa populorum connivenzia, & impunitas scelerum, quod, incremente hominum multitudine & malitiâ, laxari paulatim cœpit vinculum illud caritatis, quo gentes inter se natura colligavit, & officium defensionis remitti, donec licentia bellandi vertit in consuetudinem: quæ tamen multo est debilior, quam ut jus naturæ possit tollere, aut sanum hominem movere. Christianos certe minimè ab officio dimoverit.

Sed esto, conniventiam hanc esse justam ac laudabilem, non animi supini, timidi, improbi signum;

signum; haud certe potuit jus dare sceleri. Neque hanc gentium fuisse mentem, ullo modo verisimile est. Illustrabo rem exemplis. Ingratitudinem, quæ vocatur, omnes populi damnant, non ut vitium modo, sed ut deformè vitium. Ingrati tamen actio multis à populis non datur. Apud solos Macedones eam dari Seneca, sed falso, credidit. Quid tum? Non ideo ingrati actio- ni plane locus non est, si præsertim manifestum sit & grave delictum. *Si quid boni mores damnant, ait hac de re Boëclerus, etiam si nullâ lege præscripta sit actio, Judicis officium in Republica latius patet, neque ullam morum partem labare finit.* Præterea, num actionis negatio & impunitas parit aliquod jus ingratitudinis? num Respublica illa ponit in gloriâ ingratos? Sic non datur actio lœsis intra dimidium. *Circumvenire, ajunt, modice licet.* Quia minima non curat pretor. Rescanda est multitudo litium. At num idcirco datur jus decipiendi? Non, si manifesta fraus est, demere eam & vindicare iudici convenit? Eodem modo impunitas, quæ iniquos belli actus sequitur, ne utquam efficit *jus belli.*

Hæc cum ita sint, quare legimus apud Ammianum Marcellinum: *Nullo discrimine virueis ac dolis, prosperos omnes laudari debere bello.*

rum eventus? Quare apud Sallustium: *Omnia in victoria lege belli licuisse?* Quare apud Tra-
goedum: *Quodcumque libuit facere, victori licet?* Cur Alcon Livianus ad Saguntinos dicit: *Hec patienda censco potius, quam trucidari corpora vestra, rapi trahi que ante ora vestra conjuges ac liberos bellijure sinatis?* Cur audio Virgilium in Ciri canentem: *At belli salem captivam legi necasses?* Sic Livius inter bellijura refert, sa-
ca exurere, diruere recta; & templorum Syra-
cusarum spolia, pars belli jure affirmat. De-
niq; his & talibus adductus Augustinus quoque,
dum laudat Gothos, qui peperceraunt supplici-
bus & in templo confugientibus, ait: *Quod bel-
li jure fieri licuisse, illicitum sibi esse judicarunt.*

Nego, inquam, belli jura hæc esse, nisi ex spe-
ciali delictorum hostilium ratione; flagitia bel-
li cum prudentioribus voco. Neque ex natu-
ræ, neque ex sanarum gentium mente juris vim
aut nomen tuentur. Immo rectius opponun-
tur juri. Id quod fecit Tacitus, cuius hæc sunt
memoratu digna, Hist. 3, 51, 1: *Celerrimos auctores habeo; tantam victoribus adversus fas
nefasq; irreverentiam fuisse, ut gregarius eques,
occisum à se proximâ acie fratrem professus, præ-
mium à ducibus pessirerit.* Nec illis aut honorare
eam cadem jus hominū, aut nesci ratio belli per-
mit.

mittebas. Opponit, ecce, rationem belli, iurē hominum: & rationem belli vocat non delictum, aliquid (ut hodie fieri a solet) sed remissionem pœnæ. Ex quo satis intelligitur, non placuisse factum istud militare, quo commune mortarium fas, victoribus etiam reverendum, lædebatur. Non ergo, nisi valde ~~κατεχεντικῶς~~, ius gentium & belli dici potest, quod reclamat vero gentium bellique juri: cuiusmodi appellatio-nes violentæ eo minus tolerandæ sunt, quo certius occasionem præbent vel injuriis, vel prætextibus injuriarum.

Gentes non barbaræ, non affectibus præpeditæ, æquitatis & justitiae internæ lance cunctæ pendunt: hinc jura belli æstimant. Non quid fiat, quid dicatur, sed quid faciendum ac dicendum sit, respiciunt. Ita populus Rom. adversus Faliscos sævire cupiens, aliquoties rebelles, ut intellexit, urbem non potestati, sed fidei se Romanorum comisiisse, omnem iram placidâ mente deposituit, & *victoria obsequio, que promissime licentiam subministrat, ne justitia sua deficeret, obstitit;* teste Val. Maximo. In primis verò Christiani, qui non tantum naturali, sed & supernaturali vinculo arctissime inter se cohaerent, ut est alibi explicatum, longe prohibentur ab injuriis & damnis, contraq; ad auxilium

vocantur mutuum. E. G. Apud Christianos, qui pudicitiam vi læsit, quamvis in bello, ubique poenæ est obnoxius. Sicut de Hebreis ait magister Hebreus: *Voluit Deus, ut castra Israëlitarum sine sancta, non projecta in scortationes & abominationes ceteras, ut castra gentium.* Apud Christianos bello capti, servi non fiunt: quia ab omnibus caritatis commendatore rectius instituti erant, aut esse debebant, quam ut à misericordiis hominibus interficiendis abduci nequerent, nisi minoris servitiae & concessione. Quæ sunt verba Grotii, utrumque hoc amplius exponentis, J.B. 3.4,19. & 3,7,9. Quo pacto Christiani parcant locis sacrī, quamlibet sententiis diversi, parcant hominibus ob tempora, abstineant direptionibus urbium, & similibus, idem belle expedit l. 3. c. 12. n. 6. & 8.

Sed & illa adscribemus, vere aurea, ex l. 2. c. 15. n. 12. Cum omnes Christiani unius corporis membra sint, quæ jubentur alia aliorum dolores ac mala persentiscere, sicut id ad singulos pertinet, ita & ad populos qua populi sunt, & ad reges, qua reges, pertinet. Neg, enim pro se quisq; tantum, sed & pro mandata sibi potestate, servire Christo debet. Hoc autem præstare reges & populi non possunt, grossante armis hoste impio, nisi alii aliis auxilio sint: quod commode fieri nequit, nisi fedus

*Ense eo nomine ineatur: quod fedus jam olim ini-
um fuit, & princeps ejus creatus consensu com-
muni Romanus Imperator. Debent ergo Christiani
omnes ad causam hanc communem pro virium
modo viros aut pecunias conferre: quod quo mi-
nus faciant, non video quomodo possint excusari,
nisi si qui bello inevitabilis, aut non dissimili ma-
lo domi distinentur.*

Hodie tamen (proh dolor) reperiuntur, qui non modo opem contra Turcam & alios impios non ferant, sed ultro Turcarum ope Christianis parent exitium. In quos satis lenis fueris, si jactaveris vocem Fulconis, Archimandritæ Remensis, Carolo Simplici dictam: *Quis non expavescat, vos inimicorum Dei amicitiam velle, ac in cladem & ruinam nominis Christiani, pagana arma & feda suscipere detestanda? Nigil enim distat, utrum quis se paganis societ, an abnegato Deo idola colat.* Quod de Romano Imperatore, principe federis Christiani, hic attingit Grotius, ubertim firmat dissertatio Boecleri, cui index, *Sacrum Romanum Imperium*, pag. 7. ubi & Henricum laudat Bebelium, qui superiore seculo demonstravit, Imperatorem nostrum rectè Christianissimum dici.

Non male proinde meritus fuerit de humano genere, qui jus gentium Christianarum, bellicum

licum imprimis, ex Historicis Patribusq; Ecclesiis cum judicio collegerit. Sunt enim Christiani *lux mundi*: est Ecclesia *civitas supra montem posita*. Non possunt igitur non illustria esse ejus iura. Quæ tametsi non neglexit plane Grotius, fertilior tamē exemplorum paganorum, tenebris haud raro permistorum, de clara Christianismi luce multa aliis ac memorabilia consignanda reliquit. Evidem, quod hac tempestate tot tantique viri ac populi adversus fas nefasq; tam irreverenter se gerunt, id maxime causæ puto esse, quod profanarum magis, quam Christianarum gentium pacta moresque in libris Christianis legunt. Quoniam vero, ut est dictum, Imperatores federis Christiani caput sunt; ex horum maxime historiâ, præcipueque ex vita Constantini & Caroli magni (quam posteriorem Jo. Joach. Franzius eleganter composuit) surget opus, quale commendamus. Nam & aliae ferme gentes, & optimi quique Principum, Imperatorum illud culmen, quasi Pharon, suspererunt; adeo ut & jus civile Cæsareum jus mundi pœne factum sit. Gnari hujus rei Imperatores nostri, non juratâ magis lege, quam virtutis Austriacæ genio, tutelâ Orbis Christiani dignos se exhibent. Itaque ab horum cultu & amicitiâ digredi, nihil aliud profecto est,

quam

quam Orbi Christiano bellum facere, numero gentium excedere, fieri insociabilem ac instabilem.

Quærenti interim mihi, qua ratione dignitatem illam sceptro potiorem facillime tuetur summus Princeps; subiit, non parum esse situm in ministris. Qui si justi, si fortes, si non arrogantes, non avari & sibi maxime fidi, non fallaciarum architecti, nec studiosi partium, tales denique fuerint, quos amare populus Christianus universus possit; facile is hinc accipiet leges, & oracula, & salutem. Subiit Lycurgus, quo auctore *Lacedæmon*. (Plutarchi verba resero) scytalâ & palliolo usq; imperium in Græciam ulro delatum obtinuit, injustas in civitatibus dominationes & tyrannides destruxit, bellorum arbitra fuit, sapienterq; seditiones pacavit; idq; ne scuto quidem ullo moto, sed uno tantum missio legato, ad quem confessim omnes, tanquam apes ad regem suum, concurrentes, & in ordinem se componentes, mandatis ejus obtemperabant. Tantum ea urbs legum observantia justitiâq; reliquis prevalebat. Idem peregrinari suos veruit, ne extraneos mores, imitationemq; vita non probe instituta, diversarumq; in Rep. constitutionum, in urbem inveharent. Quinetiam eos, qui Spartam nullius utilis negotii causâ confluabant,

urbe

*arbe expulit, ne quid mali docerent. Subiit Theodo-
dorus Gothus, rex Italiæ, qui Colosseum
Pannoniæ Sirmiensi præfectum est hortatus;
Æquisati fave, innocentiam animi virtute de-
fende: ut inter nationum consuetudinem per-
versam, Gothorum possis demonstrare justitiam:
qui sic semper fuerunt in landis medio constitu-
ti, ut & Romanorum prudentiam cuperent, &
virtutem gentium possiderent. Idem curam exra-
rii & disciplinam militarem severissime rexit.
Ducibus commendavit providentiam, defu-
ram utique, si tunc cæperint fabricis operam da-
re, aut penum condere, cum oporeat bella tra-
ctare. Milites sic coëgit proficiendi, ut illis cum
provincialibus non rapiendi votum, sed commer-
cii facultas esset. Ite, (inquit) moderati. Tale sit
iter vestrum, quale decet esse, qui laborant pro
salute cunctorum. Debita militi integro ponde-
re & numero præstari jubens, fraudes Arcæ præ-
fectorum amolitus est. Docet hæc nos Cassio-
dorus, in Variis. Sed quid opus est monitis ex-
emplisve? Ipsa splendidissimæ Aulæ facies ex-
emplo erit posteris, nobis solatio, ut ger-
mana & efficax juris gentium
formula.*



